



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quis sit iudex competens in causa decimarum; & quæ pœnæ de jure statutæ sint in eos, qui decimas non solvunt, quas debent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

zã quod fructus nondum separati ab alijs maneant in dominio illius, cuius sunt prœdia, tum quod onus reale fructus habeant, ratione cuius decimari possunt ab eo, qui jus decimandi habet, ad quemcunque possessorem transiverint: postquam verò ab alijs fructibus fructus decimales separati sunt, eorum dominium directum, & plenum ad Ecclesiam spectat, quamvis actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit facta, ob speciale scilicet Ecclesiarum privilegium, vi cuius dominium rei acquirere potest Ecclesia, etiam ante traditionem factam.

§. II.

Qua actione Ecclesia, vel ejus loco parochus, aut Episcopus in iudicio exigere possit decimas sibi debitas?

SI de jure decimandi instituat lis, habet actionem confessoriam utilem Ecclesia, per quam à iudice declarari potest, quod jus decimandi sibi competat. Si verò de decimis, sive fructibus ipsis decimabilibus, nondum tamen separatis à fundo lis moveatur, tum Ecclesia ad separationem, ac solutionem agere potest, conditione ex lege, seu canone, quæ simul est actio in rem scripta, sive rei persecutoria, contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem, sive dolosum, & negligentem destructorem juxta *c. pastoralis 28. h. t.* neque tamen exigi decimæ præteritæ ab eo possunt, qui prædium nondum decimatum emit, aut de novo possidet, sed à venditore, sive priore possessore, cum onus decimarum per se non inhaereat fundo, ex

quo solvuntur decimæ, sed solum respectivè, sive in ordine ad fructus, quibus per se & immediatè onus hoc competit.

§. III.

Quis sit iudex competens in causa decimarum; & quæ pœna de jure statuta sint in eos, qui decimas non solvunt, quas debent?

SI quæstio sit de proprietate, sive jure decimarum, ad quem hoc jus pertineat; vel ex quibus fructibus solvendæ sint decimæ; vel si lis moveatur de privilegio, aut immunitate à decimis, vel denique lis moveatur de jure possidendi, ad solum Ecclesiasticum iudicem pertinet in causa tali judicare (cum laici Ecclesiastica negotia tractare non possint *c. 2. de judic.*) qui summariè causam talem cognoscat, & sententiam in scripto ferat juxta *Clement. 2. de P. S.* si verò sit meri facti quæstio, an quis perceperit, vel solverit decimas, vel de nuda detentione, sit controversia &c. causa mixti fori videtur, juxta communem præxin, & consuetudinem. Pœnæ verò, quæ de jure statutæ sunt, in non solventes decimas, quas debent, sunt variz, potissimæ sunt excommunicatio (præmissâ tamen monitione) & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ: quatum neutra tamen à parochio, qui non solutæ fuerunt decimæ, absque superioris Ecclesiastici iudicis commissione infligi poterit, cum nulla illi competat fori externi jurisdicção.



SECTIO IX.

De primitiis, & oblationibus.

§. I.

De primitiis.

Primitiæ dicuntur, *primi fructus agrorum, vinearum, horticorum &c. primogenita in animalibus &c.* ut colligitur ex variis sacrarum litterarum textibus. Distinguntur à decimis, quòd illæ sint primi fructus, & immediatè Deo offerantur, in gratiarum actionem pro frugibus terræ &c. decimæ verò sint decima pars fructuum, quæ in sustentationem ministris Ecclesiæ immediatè debetur: & quamvis in antiqua lege ex præcepto legis divinæ scriptæ, offerri deberent, primitiæ, ex omnibus fructibus Deo, juxta varios Sacra Scripturæ textus, & olim etiam in lege Evangelica, ex præcepto juris Ecclesiastici, solvi deberent sacerdotibus, & ministris Ecclesiæ; prout etiam varia jura indicant, hodie tamen in plerisque locis est hæc obligatio extincta, ut nemo de his solvendis ex obligatione sollicitus sit.

§. II.

De oblationibus.

Oblationum nomine, prout à decimis, primitiis, & alijs donationibus, ac legatis Ecclesiæ factis distinguuntur, quæ sub nomine oblationum latius accepto comprehendi possunt, earum oblationes veniunt, *quæ ad altare à Christi fidelibus Deo, & Sanctis offeruntur, religionis*

*intuitu, licet postea in usum Ecclesiæ vel ministrorum ejus vertantur: nullum quidem de strictè dictis oblationibus faciendis præceptum in Ecclesiis habetur (quæ enim præcepta in jure canonico antiquo oblationes præcipere videntur, loquuntur in ampliore sensu accipendo oblationes, de illis scilicet, quæ in titulo, vel ut census, vel ut legati, vel ut decimæ &c. in casu quo defectu sustentatio congrua ministris Ecclesiæ ex cõvenerdinariis aliquâ obligatione debentur Ecclesiæ) laudabiles tamen & pias, ac spontaneas consuetudines esse negligendas, monet Pontifex in *Apostolicam* 42. *de Simonia*, capitulo 1. *men etiam quorundam oblationum ad aram admittere, vel accipere prohibetur, prout videre est, apud Iulianum canon. 2. dist. 90. v. dona altaris &c. manifestis, à raptoribus, à pauperum oppressoribus, à sacrilegis, à contumacibus, à publicis meretricibus, à scandalum scilicet vitandum, & non deatur Ecclesiæ cum illis velle communicare, in iniquè partis &c. oblationes etiam non possunt hæc oblationes accipi ex illis, quæ sunt injustè acceptæ, quæ debentur alijs, vel ex pietate, vel ex charitatis &c. obligatione. Et quovis tales oblationes immediatè Deo fiant, in usum tamen illorum converti possunt, qui curam animarum in Ecclesiâ ex officio, & obligatione ministrant. Et hinc oblationes, quæ fiunt capellæ alicui, aut altari in Ecclesiâ parochiali existenti; vel quæ fiunt in capella, aut oratorio, sito intra fines, & limites parochialis Ecclesiæ, vel quæ**